


RIC
OR
L
P
M

ORIENTALE



GRAMMATICA LINGVAE PERSICAE.

AVCTORE

Patre Fratris **IGNATIO à JESU**
Carmelita Discalceato Missionario, &
Vicario Residentiæ Tripolis, &
Montis Libani.

ISTIT. ORIENTALE

N. Inv. 19.382

BIBLIOTECA




ROMÆ,

Typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Anno Domini M DC LXI.



SVPERIORVM PERMISSV.



LIBER PRIMVS
CIRCA LINGVAM PERSICAM,

Et primò Rudimenta eiusdem linguæ
Persicæ, quæ est Pars Pri-
ma ipsius

LIBRI PRIM I.



CAPVT I.

De Literis Persarum.



LITERÆ Persarum sunt tantum
triginta & vna, nam *Lam Alef*,
𐎠, etiamsi apponatur in Alphabe-
to, non est litera particularis, sed
sunt duæ simul iunctæ, nempe *J Lam*, & *1*

A 2

Alef,

Alef, sicuti inter Latinos iungitur e simul cum *t*, & fit particula *ع*, quæ non est vna litera particularis, sed sunt duæ in suis locis distinctæ. De quibus Persarum literis aliqua breuiter dicemus, sed prius inspiciendum est Alphabetum in sequentibus paginis descriptum, in quibus Figuram, Nomen, Valoremque ipsarum literarum reperies.



FIGVRA LITERARVM
PERSICARVM
VALORQVE ILLARVM.

Valor	Nomen	Nō annexa Priori	Annexa Posteriori	Annexa Priori	Non annexa
A	Alef الف	ا	ا	ا	ا
B	Be باء	ببب	بد	بي	ب
P	Pe پاء	پپپ	پد	پی	پ
T	Te تاء	تتت	تد	تی	ت
Cs	Cse ثاء	ثثث	ثد	ثی	ث
G	Gim جیم	ججج	جد	جی	ج

C	Ce	چ	چ	چ	چ
Eh	Eh	ح	ح	ح	ح
Chh	Chh	خ	خ	خ	خ
D	Dal	د	د	د	د
Z	Zal	ذ	ذ	ذ	ذ
R	Re	ر	ر	ر	ر
Z	Ze	ز	ز	ز	ز
Sg	Sge	ژ	ژ	ژ	ژ
S	Sin	س	س	س	س

Sē	Sēin	ش	ش	ش	ش
SS	Sād	ص	ص	ص	ص
Zh	Zhad	ض	ض	ض	ض
Th	The	ط	ط	ط	ط
Zh	Zhe	ظ	ظ	ظ	ظ
Ahh	Ahhin	ع	ع	ع	ع
Ghh	Ghhain	غ	غ	غ	غ
F	Fe	ف	ف	ف	ف
Ch	Chaf	ق	ق	ق	ق

les, neque motiones, seu signa, quæ deseruiunt loco vocalium sicut habent Arabes, & ideo multoties in legendo nascitur confusio, nam eadem consonantes eodem modo iunctæ deseruiunt pro vno, & pro alio nomine diuerso, sicuti experieris in legendo.

Literæ secundæ Classis sunt sequentes, nempe ش ح ص ط ظ ع غ ق Et istæ propriæ sunt Arabum, quibus nunquam vtuntur Persæ, nisi in nominibus, quæ accipit ex lingua Arabica, sed in verbis simplicibus linguæ Persicæ, & in nominibus simpliciter Persicis, nunquam inuenies supradictas literas secundæ Classis. Et ideo cum in scripturis Persicis videris aliquod nomen habens dictas literas, scias esse nomen emanans à lingua Arabica. Verba autem simplicia linguæ Persicæ, sicuti, *Mireuem*, *Eo*, *Miaiem*, *Venio*, & omnia alia, quemadmodum nunquam habent aliquam dependentiam, seu deriuationem à lingua Arabica, ita nunquam omnino admittunt prædictas literas Arabicas, nisi sint verba composita ex nomine Arabico, & verbo Persico. v. g. *Gemabhemikonem* Congrego, seu Congregationem facio.

Quia

quia hoc verbum *Mikonem* significat Facio, & hoc nomen *Gemabh* significat Congregationem. Et sic alia multa.

Literæ tertiæ Classis sunt reliquæ omnes, quæ inueniuntur in Alphabeto, quæ sunt communes Persis, & Arabibus, sicuti ا ب ت & omnes aliæ, præter supradictas.

Nota, quod Persæ pronunciant istas tres literas ذ من ط sicut, *Z*, & vocant eas *Zhal*, *Zhad*, *Zha*; Arabes verò pronunciant eas sicut, *Dh*, & dicunt *Dhal*, *Dhad*, *Dha*.

Circa literas sunt aliquæ aliæ notationes infra in Alphabeto Arabico, quæ possunt deseruire etiam pro literis Persicis.

Quomodo autem pronuncientur istæ literæ, potes aliquo modo dignoscere ex literis Latinis, quæ in Alphabeto scriptæ sunt prope literas Persicas, sed melius etiam addiscere hoc poteris, audiendo aliquem, qui benè illas pronunciet, melior enim est vox viua alicuius Magistri, quàm quælibet descriptio facta per calamum, & atramentum.

CAPVT II.

De Nomine, & primò de Genere Nominis.

IN nomine tria præcipua possunt confiderari. Genus, Numerus, Casus.

Et loquendo prius de Genere dico, quòd nomina Persica non distinguuntur genere, sed omnia sunt vnius tenoris. Solùm quæ terminantur in, Et, sunt generis foeminini, sed omnia ista, quæ terminantur in, Et, sunt nomina Arabica, quibus vtuntur Persæ in sua lingua. Sed in nominibus, quæ verè & simpliciter sunt Persica, nulla fit distinctio inter masculinum, foemininum, & neutrum. nec dignoscitur cuius generis sint, quia dignosci non potest per terminationem, cum terminationes non minus seruiant pro vno, quàm pro alio genere; nec dignosci potest per adiectiuum, quod ipsi nomini adiungitur, cum non habeant, nisi vnam solam terminationem, quæ est communis omnibus generibus, & ideò eodem modo dicitur, *Merd chhub*, Vir bonus, & *Zen chhub*, Mulier bona.

De

De Numero.

Numeri sunt duo, singularis, & pluralis. Pluralis formatur addendo in fine Singularis particulam *aa*, aut *on*, v.g. *Adem*, Homo, *Ademaa*, aut *Ademon*, Homines.

Nota, quòd quando in singulari nomen terminatur in *E*, in plurali adiungitur *gon*, v.g. *Feriscete*, Angelus, *Feriscetegon*, Angeli. & non dicitur *Feriscetion*.

De Casibus.

Casus omnes sunt ijdem, & non distinguuntur nisi per quasdam particulas, quæ nomini coniunguntur. Idest *Be*, *Ez*, *Ra*, *La*, *Ez*, Sed vt videas quomodo hæ particulae vniantur nomini, vnum nomen declinabimus.

Singul.	Plural.
Nom. <i>Adem</i> , <i>Homo</i> .	Nom. <i>Ademaa</i> , <i>Homines</i> .
Gen. <i>Ez Adem</i> , <i>Hominis</i> .	Gen. <i>Ez Ademaa</i> .
	Dat.

Dat. Be Adem, Ho-
mini.

Accus. Ademra, Ho-
minem.

Voc. Ia Adem, o Ho-
mo.

Abl. Ez Adem, ab Ho-
mine.

Nota, quòd quando Genitiuus iungitur cum nomine præcedenti, v. g. Ciuitas Regis, Persicè dicitur, *Sceer Patscia*, Ciuitas Rex. & non dicitur, *Sceer ez Patscia*, Ciuitas Regis.

Quando autem Genitiuus est absolutus, & solus, præponitur nomini particula *ez*, quæ Italicè significat *del*, v. g. quando interrogant, Ciuitas cuius est? respondeas absolutè, *ez Patscia*, Regis, *del Rè*.

Nota etiam, quod in Oratione, quando Accusatiuus substantiui iungitur cum accusatiuo adiectiui, vni soli additur, *ra*, sed melius additur adiectiuo, quàm substantiuo. v. g. Vidi hominem pulchrum, dicitur, *Adem chhubra didem*. Sed illud *ra*, parum est in vsu, in loquendo autem dicitur, *Adem chhub didem*.

Nota

Nota insuper, quòd quando nomen terminatum in *e*, coniungitur cum alio nomine, additur ipsi *e*, litera *i*, ob meliorem sonum, v. g. *Chhone*, Domus; *Chhoneimen*, Domus mea.

De Nominibus Deriuatiuis, & Adiectiuis.

Deriuatiua à nominibus proprijs hominum, aut Regionum, aut Ciuitatum, formantur adijciendo literam *i*, in fine nominis proprii. v. g. Mahomettus, *Mabamed*, Mahomettanus, *Mabeamdi*, *Agem*, Persis, *Agemi*, Persianus. *Bagdad* Babilonia, *Bagdadi*, Babilonicus.

Alia etiam quæ deriuantur ab alijs nominibus, formantur eodem modo adijciendo literam *i*, v. g. *Asmon*, Coelum, *Asmoni*, Coelestis. *Deria*, Mare. *Deriai*, Maritimus. *Zemin*, Terra. *Zemini*, Terrestris. Et ista omnia sunt Adiectiua.

Nota, quòd quando Adiectiuum iungitur substantiuo, adiectiuum non habet plurale, sed semper remanet in singulari, & substantiuum recipit terminationem pluralem. v. g. Pulchri homines, dicitur, *Chhub adema*, & non dicitur *Chhubaa adema*. Homines sancti, dicitur, *Ade-*

Ademaa mochaddes, & non dicitur *Ademaa Mochaddefaa*.

De Nominibus Abstractis.

Abstracta fiunt tripliciter. Primò, ex nominibus Concretis, secundò ex Adiectiuis, tertio ex Verbis.

Ex Concretis fiunt nomina abstracta adiiciendo in fine Concreti literam *i*, eodem modo fiunt abstracta ab adiectiuis. v. g. *Sefid*, Albus. *Sefidi*, Albedo. *Nik*, Bonus. *Niki*, Bonitas. Abstracta à verbis fiunt dempto *mi*, in principio verbi, & mutato *m* م quod est in fine uerbi, in literam *Scin* ش, u. g. *Miasmaiem*, Experior, dempto *mi* می, & mutato *m* م, quod est in fine in literam *Scin* ش, fit *Asmaiesc*, Experimentū *Misetaiem*, Laudo. *Setaiesc*, Laudatio. *Mipuscem*, Vestior. *Puscesc*, Vestimentum.

Fiunt etiam ista abstracta, à verbali concreto actiuo, addendo ipsi syllabam *Ki*. v. g. *Chborende*, Manducator. *Chborendiki*, Manducatio. *Chbonende*, Cantator, seu Lector. *Chbonendeki*, Cantatio, seu Lectio. Istud verbale

con-

concretum actiuum formatur à prima Præsentis, demptis prima, & vltima syllaba, & addito *ende*, v. g. *Michborem*, dempto *mi*, & *em*, & addito *ende*, fit *Chborende*, Māducator. *Michbonem*, dempto *mi*, & *em*, & addito *ende*, fit *Chbonende*, Lector.

Nota, quòd infinitiuum sumitur etiam pro ipso verbali abstracto. v. g. *Chborden*, Manducatio, Italicè, *il mangiare*. *Chbonden*, Lectio, *il leggere*.

De Abstractis à Numeralibus.

Addendo literam *e*, alicui nomini coniuncto cum aliquo numero, significat rem esse ex illo numero. v. g. *Du sal*, Duo anni, addendo literam *e*, fit *Du salè*. Et significat rem esse duorum annorum. v. g. *Pesser du salè*, Puer duorum annorum. *Se salè*, Trium annorum. *Nim salè*, Ex medio anno. *Nim ten*, Medium corpus. addito *e*, fit *Nim tenè*, & significat rem ex medio corpore. Et est vestis mulierum Persarum, quia cooperit medium corpus.

Abstractum ab his fit addendo in fine syl-

C

labam

labam *Ki*, v. g. *Se salè*, Triennis. *Se saleki*,
Triennium.

De Nominibus compositis ex diuersis particulis.

Nomina componuntur aliquando ex particulis negatiuis, sicuti, *na*, *bi*; aut coniunctiuis, sicuti, *em*, aut significantibus præditum esse, sicuti *mend*, aut affectum esse, vt *nak*, aut habere, sicuti *dar*, aut operari, sicuti *kar*, aut aliquid continere, sicuti *don*, aut affluere, seu locum esse proprium aliquarum rerum in abundantia, sicuti *eston*. De quibus omnibus afferamus exempla.

Et primò negatiua sunt sicuti *Napak*, compositum ex *Na*, quod significat, Non, & ex *Pak*, quod significat Purus; Non purus, impurus. *Namerd*, cōpositum ex *Na*, & ex *Merd*, Non vir. ineptus. *huomo da niente*. *Binamus*, compositum ex *Bi*, quod significat, Sine, & *Namus*, quod significat, verecundia, siue verecundia, inuerecundus.

Coniuncta, sunt veluti *Emscire*, compositum ex *Em*, quod significat, simul, & ex *Scire*
quod

quod significat *lac*; simul *lac*, idest collecta-
neus.

Significantia præditum esse, sunt veluti *Deuletmend*, compositum ex *Deulet*, quod significat, Prosperitas, diuitiæ, & ex particula *Mend*, quæ significat Præditum esse. Præditus diuitijs, diues, prosper. *Saahdet*, Beatitudo. *Saahdetmend*, Beatitudine præditus. Beatus.

Vtuntur etiam Persæ, atque Arabes nomine *Ssaeb*, idest Dominus, *Padrone*. quod coniunctum cum aliquo nomine, significat Præditum esse illa re, cui coniungitur. v. g. *Ssaeb saahdet*, Dominus beatitudinis, beatus. *Ssaeb deulet*, Dominus prosperitatis, prosper. *Ssaeb achl*, Dominus intellectus, idest, intelligens, sapiens.

Significantia affectum esse aliqua re, sunt veluti *Gbhamnak*, compositum ex *Gbham*, Tristitia, & ex *Nak*, quod significat, Affectum esse. Tristitia affectus, tristis. *Derdnak*, Dolo-
re affectus, dolens.

Significantia, habere, sunt veluti *Meemon-
dar*, compositum ex *Meemon*, idest Hospes, &

dar, idest Habens, Hospites habens, seu hospitum receptor. *Moordar*, cōpositum ex *Moor*, idest Sigillum, & *Dar*, idest habens. Sigillum habens. idest Cancellarius Regius, qui habet Regium sigillum.

Significantia operationem, sunt veluti *Gunakar*, compositum ex *Guna*, idest Peccatum, & ex *Kar*, idest Opus, seu operans, Peccatum operās, peccator. *Nikukar*, Bonum operans.

Significantia, includere, seu continere, sunt sicuti *Namekdon*, cōpositum ex *Namek*, idest Sal, & ex *Don*, idest Cōtinens, Salem continens, salinar. *Sciamahdon*. Candelam continens, candelabrum.

Significantia affluere aliquibus rebus, sunt veluti *Senkeston*, compositum ex *Senk*, idest Petra, & *Eston*, quod significat Affluere; Locus affluens petris, loca petrosa. *Kileston*, locus affluens luto; loca lutosa. *Eston*, significat etiam Regionem alicuius nationis, seu locum affluentem hominibus eiusdem nationis, qui sit proprius illorum. v. g. *Frenkeston*, Regio, vel locus proprius Francorum, Europa, *Endeston*, Regio Indorum, Indiæ. *Armenieston*,

nieston, Regio Armenorum, Armenia; & sic de singulis.

De Nominibus, seu Verbis duplicatis.

Aliquando Persæ duplicant nomina, & etiam verba, & ex duobus fit vnum nomen, seu vnum verbum, habens particularem significationem. v. g. *Chberid fruchht*, Emit vendidit. ex his duobus iunctis fit vnum nomen, & significat Commercium, seu negotiationem. *Giofst giu*, Quæsiuit, quærens, & significat Quæstionem. *Sciofst sciu*, Lauit lauans, & significat lotionem. *Gofst gu*, Dixit dicens, significat Colloquium, confabulationem.

Insuper duplicantur etiam nomina, & ex duobus resultat vnum nomen compositum habens particularem significationem, quod potest sumi etiam aduerbialiter. v. g. *Beraber*, Par pari, significat Æqualem, parem. Et etiam sumitur aduerbialiter; & significat, Æqualiter, rectè. *Lebaleb*, Labium labium; significat Plenum vsque ad summum; & etiam est aduerbium significans, Plenè. *Pesapes*, Retro retro, signi-

significat Retrogradum, seu Retrogradè. *Gun-
agun*, Modus modus, significat Diuersimodè,
variè. *Rengareng*, Color color, significat Di-
uersicolore.

De Comparatiuis, & Superlatiuis.

Comparatiua deriuantur à Positiuis addita
in fine positiui syllaba *ter*, v. g. *Dona*, Sapiens,
Donater, Sapientior. *Kem*, Parum, *Kemter*,
Minus.

Superlatiua autem formantur addendo ipsi
Comparatiuo syllabam *in*, v. g. *Donater*, Sa-
pientior. *Donaterin*, Sapientissimus. *Kemter*,
Minus. *Kemterin*, Minimum.

De Diminutiuis.

Diminutiua deriuantur à simplicibus adiun-
cta syllaba *ek*, v. g. *Ketab*, Liber, *Ketabek*; Li-
bellus.

Sed hæc regula non est generalis, quia sunt
aliqua diminutiua, quæ formantur à simplici-
bus addendo ipsis syllabam *ce*, v. g. *Cali*, La-
pes,

pes. *Calice*, Paruulus Tapes. *Deria*, Mare.
Deriace, Paruulum Mare. *Bagh*, Hortus.
Baghce, Hortulus.

De Nominibus Numeralibus.

Numeralia ordinalia, idest, quæ ordinem
significant, à numero simplici formantur ad-
dendo ipsi syllabam *um*, v. g. *Du*, Duo. *Duum*,
Secundus. *Se*, Tres. *Seum*, Tertius. *Iek*, V-
nus, excipitur, non enim dicitur *Iekum*, Pri-
mus, sed dicitur *Auel*.

Numeralia combinata formantur à numero
simplici addendo ipsi syllabam *ta*, v. g. *Du*,
duo. *Duta*, Bini.

C A P V T I I I.

De Pronominibus.

Pronomina distingui possunt in quinque
Classes, scilicet in Pronomina Personalia,
Possessiua, Demonstratiua; Relatiua, & Inter-
rogatiua.

In his Pronominibus tria possunt præcipuè
con-

considerari, sicut diximus de Nomine. Scilicet Genus, Numerus, Casus: & quæ diximus circa ista tria de ipso Nomine, debemus dicere de Pronominibus; scilicet, quòd Genus est commune. Numeri sunt duo, singularis, & pluralis. Casus sunt sex, qui non distinguuntur nisi per quasdam particulas, & Pronomen semper est idem, & remanet immobile in omni casu. Sed videamus quænam, & quot sunt ista Pronomina in has quinque Classes distincta.

Et primò, Pronomina personalia sunt sex.

Men, Tu, On. Ego, Tu, Ille.

Ma, Sciuma, Onaa. Nos, Vos, Illi.

Quæ declinantur sicut superiùs diximus adiungendo ipsis quasdam particulas; hoc modo.

Singul.	Plural.
<i>Nom.</i> Men, <i>Ego.</i>	<i>Nom.</i> Ma, <i>Nos.</i>
<i>Gen.</i> Ez Men, <i>Mei.</i>	<i>Gen.</i> Ez Ma, <i>Nostrum.</i>
<i>Dat.</i> Be Men, <i>Mibi.</i>	<i>Dat.</i> Be Ma, <i>Nobis.</i>
<i>Accus.</i> Menra, <i>Me.</i>	<i>Accus.</i> Mara, <i>Nos.</i>
<i>Voc.</i> Ia Men, <i>O Me.</i>	<i>Voc.</i> Ia Ma, <i>ò Nos.</i>
<i>Abl.</i> Ez Men, <i>A Me.</i>	<i>Abl.</i> Ez Ma, <i>à Nobis.</i>

Alia duo declinantur eodem modo.

Nota

Nota, quòd quando ista Pronomina ponuntur sola, & absoluta, in Genitiuo præponitur particula *Ez*, ipsi Pronomini. v.g. *Ez men*, Italicè, *Di me*; *Ez tu*, *Di te*. *Ez on*, *Di lui*. Latine, *mei*, *tui*, *ipfius*. v. g. *interrogas*. *Geet ki*, cuius causa? *respondeo*, *ez men*, *Mei*; *Di me*. Quando autem ipsum Pronomen iungitur cum aliquo Nomine, non ponitur *Ez*. v.g. *Geet men*, *Causa mei*. *Geet tu*, *Causa tui*. *Geet on*, *Causa illius*; & non dicitur *Geet ez men*, *geet ez tu*, *geet ez on*. Et hæc notatio est communis pro omnibus Pronominibus, possessiuis, demonstratiuis, relatiuis, & interrogatiuis; itaque non erit necesse hoc iterum repetere.

Pronomina possessiua distinguuntur in separata, & coniuncta, seu affixa.

Separata sunt sex, & sunt eadem supradicta personalia, scilicet, *Men, Tu, On*. *Ma, Sciuma, Onaa*; quæ deseruiūt pro possessiuis, *Meus, Tuus, Suus*; *Noster, Vester, Ipsorum*. v. g. *Peder men*, *Pater meus*. *Peder tu*, *Pater tuus*. *Peder hu*, *Pater suus*. *Peder ma*, *Pater noster*, *Peder sciuma*, *Pater vester*. *Peder iscion*, *Pater ipsorum*, quæ hoc modo declinantur. v. g.

D

Sin-

Singular.		Plural.	
Nom. Peder men, Pater meus.	Nom. Pederon men, Patres mei.	Nom. Pederon men, Patres mei.	Nom. Pederon men, Patres mei.
Genit. Ez Peder men, Patris mei.	Gen. Ez Pederon men, Patrum meorum.	Gen. Ez Pederon men, Patrum meorum.	Gen. Ez Pederon men, Patrum meorum.
Dat. Be Peder men, Patri meo.	Dat. Be Pederon men, Patribus meis.	Dat. Be Pederon men, Patribus meis.	Dat. Be Pederon men, Patribus meis.
Accus. Peder menra, Patrem meum.	Accus. Pederon menra, Patres meos.	Accus. Pederon menra, Patres meos.	Accus. Pederon menra, Patres meos.
Voc. Ia Peder men, ò Pater meus.	Voc. Ia Pederon men, ò Patres mei.	Voc. Ia Pederon men, ò Patres mei.	Voc. Ia Pederon men, ò Patres mei.
Abl. Ez Peder men, à Patre meo.	Abl. Ez Pederon men, à Patribus meis.	Abl. Ez Pederon men, à Patribus meis.	Abl. Ez Pederon men, à Patribus meis.

Peder ma, Pater noster, declinatur eodem modo, scilicet.

Singular.		Plural.	
Nom. Peder ma, Pater noster.	Nom. Pederon ma, Patres nostri.	Nom. Pederon ma, Patres nostri.	Nom. Pederon ma, Patres nostri.
Gen. Ez Peder ma, Patris nostri.	Gen. Ez Pederon ma, Patrum nostrorū.	Gen. Ez Pederon ma, Patrum nostrorū.	Gen. Ez Pederon ma, Patrum nostrorū.
Dat. Be Peder ma, Patri nostro.	Dat. Be Pederon ma, Patribus nostris.	Dat. Be Pederon ma, Patribus nostris.	Dat. Be Pederon ma, Patribus nostris.
Accus. Peder mara, Patrem nostrum.	Accus. Pederon menra, Patres nostros.	Accus. Pederon menra, Patres nostros.	Accus. Pederon menra, Patres nostros.
	Voc.		

Voc. Ia Peder ma, ò Pater noster. Voc. Ia Pederon ma, ò Patres nostri.

Abl. Ez Peder ma, à Patre nostro. Abl. Ez Pederon ma, à Patribus nostris.

Et sic declinantur alia Pronomina Tuus, Vester, Suus, Ipsorum.

Nota, quòd suprascripta Pronomina, Meus, Tuus, Men, Tu, & alia possessiua separata non habent numerum pluralem, sed Nomen, quod coniungitur ipsis, accipit terminationem pluralem, & Pronomen semper remanet in singulari. Et sic dicunt, *Peder ma*, Pater noster. & *Pederon ma*, Patres noster.

Nota, quòd ista Pronomina semper ponuntur post Nomen, & sic dicunt Persę *Peder men*, Pater meus, & nunquam dicunt, *Men Peder*, Meus Pater.

Pronomina possessiua coniuncta, seu affixa, sunt illa, quę nunquam inveniuntur separata, sed semper sunt coniuncta Nominibus, aut Verbis. Illa quę sunt affixa Nominibus sunt sex, scilicet, *Em*, *Et*, *Esç*, Meus, Tuus, Suus.

Emon, *Eton*, *Esçon*, Noster, Vester, Ipsorum. Quę hoc modo coniunguntur, seu affi-

guntur Nomini. v. g. *Peder*, Pater. *Pederem*, Pater meus. *Pederet*, Pater tuus. *Pederesc*, Pater suus. In plurali, *Pederemon*, Pater noster. *Pedereton*, Pater vester. *Pederescön*, Pater ipsorum.

Illa quæ affiguntur Verbis sunt tantum quatuor, quia non affiguntur nisi secundæ, & tertiæ personæ singularis, & secundæ, & tertiæ pluralis. v. g. *Mizenem*, Verbero. *Mizenemet*, Verbero te. *Mizenemesc*, Verbero ipsum. In plurali, *Mizenemeton*, Verbero vos. *Mizenemescon*, Verbero ipsos.

Pronomina demonstratiua sunt quatuor, duo singularia, scilicet, *In*, *On*, Hic, Ille; & duo pluralia, *Inaa*, *Onaa*, Isti, Illi. quæ declinantur sicuti nomina. v. g.

<i>Singul.</i>	<i>Plural.</i>
<i>Nom.</i> In, <i>Hic</i> .	<i>Nom.</i> Inaa, <i>Hi</i> .
<i>Gen.</i> Ez In, <i>Huius</i> .	<i>Gen.</i> Ez Inaa, <i>Horum</i> .
<i>Dat.</i> Be In, <i>Huic</i> .	<i>Dat.</i> Be Inaa, <i>His</i> .
<i>Accus.</i> Inra, <i>Hunc</i> .	<i>Accus.</i> Inaara, <i>Hos</i> .
<i>Voc.</i> Ia In, <i>ò Hunc</i> .	<i>Voc.</i> Ia Inaa, <i>ò Hos</i> .
<i>Abl.</i> Ez In, <i>ab Hoc</i> .	<i>Abl.</i> Ez Inaa, <i>ab His</i> .

Nota, quòd Pronomen demonstratiuum habet

bet duos numeros, singularem, & pluralem, quando ponitur solum; sed iunctum cum Nominine, semper remanet in singulari. v. g. Hi venerunt, *Inaa omedend*, sed, Isti homines venerunt, dicitur, *In ademaa omedend*, & non dicitur, *Inaa ademaa*.

Pronomina relatiua sunt, Qui, Quæ, Quod; pro omnibus istis tam in singulari, quam in plurali Persæ non habent nisi particulam *Ke*, quæ deseruit pro omni genere, tam masculino, quam foeminino, & neutro; & etiam pro omnibus numeris, tam singulari, quam plurali; & sic dicitur eodem modo *Merd ke*, Vir qui. *Zen ke*, Fœmina quæ.

Nota, quòd istud Pronomen *Ke*, declinatur diuersimodè ab alijs Pronominibus; quod vt videas, declinemus istud Pronomen relatiuum *Ke*.

Singul. Nom. Qui, quæ, quod, *Ke*. *Gen.* Cuius, *Ke, ez, on*. *Dat.* Cui, *Ke, be, on*. *Accus.* Quem, *Ke, onra*. *Abl.* A quo, *Ke, ez, on*.

Plural. Nom. Qui, quæ, *Ke*. *Gen.* Quorum, *Ke, ez, onaa*. *Dat.* Quibus, *Ke, be, onaa*. *Acc.* Quos, *Ke, onara*. *Abl.* A quibus, *Ke, ez, onaa*.

Nota,

Nota, quòd istud Pronomen *Ke*, in nominatiuo semper est idem, tam in singulari, quam in plurali, tam pro masculino, quam pro foemino, sicuti, *Che*, Italum.

De Pronomine *Chhud*.

Chhud, significat Ipsemet, Ipsamet, Ipsummet; & est commune tribus personis, sicuti, Ipsemet, in lingua Latina; & ideo dicitur, *Chhud kerdem*, *Chhud kerdi*, *Chhud kerd*, Ipsemet feci, Ipsemet fecisti, Ipsemet fecit.

Insuper significat, Ego ipse, Tu ipse, Ille ipse. v. g. *Chhudra mizenem*, Meipsum verbero. *Chhudra mizeni*, Teipsum verberas, *Chhudra mizened*, Seipsum verberat.

Nota, quòd ex persona Verbi cui adiungitur, cognoscitur cuius personae sit istud pronomen *Chhud*.

Insuper significat Proprius, propria, Proprium; & Proprius meus, proprius tuus, proprius suus. v. g. *Mireuem der chbonei chhud*, Eo in domum propriam. *Mireui der chbonei Chhud*, Is in domum propriam. *Mireued der chbonei*

nei chhud, It in domum propriam; & subintelligitur Meam, Tuam, Suam, secundum personam Verbi, cui adiungitur sicut superius diximus, ita vt cum dico, *Eo*, significat illud *Chbonei chhud*, Domum meam; cum dico, *Is*, significat Domum propriam suam.

Sed nota, quòd ipsi Pronomini *Chhud*, adiunguntur illae particulae, seu Pronomina possessiua affixa, de quibus superius diximus; scilicet, *Em*, *Et*, *Esc*, Meus, Tuus, Suus. v. g. *Chbonei chhodem*, Domus propria mea. *Chbonei chhodesc*, Domus propria tua. *Chbonei chhodesc*, Domus propria sua. Et sic semper retinent ista Pronomina sic affixa propriam significationem cum qualibet persona Verbi, cum qua coniunguntur. v. g. *Mireuem der chbonei chhudem*, Eo in domum propriam meam. *Mireui der chbonei chhudem*, Is in domum propriam meam. *Mireued der chbonei chhudem*, It in domum propriam meam; & sic de alijs personis.

Nota insuper, quod ista Pronomina sic iuncta significant, Ego proprius, Tu proprius, Ille proprius. v. g. *Chhodem*, Ego proprius. *Chhodet*, Tu proprius. *Chhodesc*, Ille proprius. Pluraliter.

Chhu-

Chbudemon, Nos proprij. *Chbudeton*, Vos proprij. *Chbudescion*, Illi proprij.

Et hæc sint dicta de literis Persarum, de Nominibus, & de Pronominibus.

C A P V T I V.

De Verbo.

IN Verbo possunt ista præcipuè considerari, scilicet, Numerus, Persona, Tempus, Modus, Genus, Species, Coniugatio.

Numeri sunt duo apud Persas, sicuti apud Latinos, scilicet, Singularis, & Pluralis.

Personæ similiter sunt tres sicut apud Latinos, scilicet, Prima, secunda, & tertia.

Tempora sunt quinque, scilicet, Præfens, Præteritum, Imperfectum, Perfectum, Plusquam perfectum, & Futurum.

Modi sunt quinque, scilicet, Indicatiuus, Imperatiuus, Optatiuus, Subiunctiuus, Infinitiuus.

Insuper habent Gerundia in *Do*, & in *Dum*, & Participium, & Supinum, sicuti paulò inferius videbimus, cū aliqua verba coniugabimus,

&

& aliquas regulas afferemus ad formanda tempora, & personas ipsius Verbi.

Genera Verborum in lingua Persica sunt actiua, & passiuua; paucissima Verba sunt communia, idest, simul actiua, & passiuua; pauca etiam sunt neutra; & pauca ex sui natura sunt passiuua. itaque ferè omnia sunt actiua ex sui natura, veluti *Michborem*, Manduco, *Mizenem*, Verbero. Passiuua ex natura sua sunt veluti *Misuzem*, Vror; & alia pauca.

Sed omnia actiua fiunt passiuua coniungendo tertiam Præteriti perfecti cum verbo *Misceuem*, Fio. v.g. *Chborde misceuem*, Manducor, *Zede misceuem*, Verberor. Insuper omnia nomina, quæ coniuncta cum verbo *Mikunem*, Facio, sunt actiua; si coniungantur cum verbo *Misceuem*, idest Fio, sunt passiuua. v.g. *Pur mikunem*, Impleo. *Pur misceuem*, Impleor. *Pak mikunem*, Purifico, *Pak misceuem*, Purificor.

Verba passiuua fiunt actiua addendo syllabam *On*, ante vltimam syllabam primæ personæ Præfentis temporis. v. g. *Misuzem*, Vror, *Misuzonem*, Vro. *Mikerdem*, Vctor, *Mikerdonem*, Vctor.

E

Nota

Nota etiam, quod addendo *On*, vt dixi, facit transire actionem. v. g. *Mideuem*, Curro, *Mideuonem*, Facio currere. *Mitersem*, Timeo, *Miterfonem*, Facio timere.

Species Verborum Persicorum sunt duæ; prima est Verborum simplicium, altera compositorum.

Verba simplicia sunt, veluti *Mireuem*, Eo. *Miaiem*, Venio. *Migruzem*, Fugio.

Verba composita inter Persas sunt ferè innumera, & componuntur ex Nomine coniuncto cum aliquo Verbo. v. g. *Pur Mikunem*, Plenum facio, impleo. *Pak mikunem*, Purum facio, purifico. *Kar mikunem*, Opus facio, operor. *Seughend michborem*, Iuramentum manduco, Iuro. *Berem mizenem*, Simul tundo, collido.

Nota, quòd Verba Persica, quæ appellamus simplicia, intelligimus, quod non sunt composita extrinsecè sicuti, *Pur mikunem*, & alia quæ componuntur ex Nomine, & ex aliquo Verbo sicuti diximus. Sed intrinsecè omnia sunt composita ex Participio, & ex Verbo Substantiuo, Sum, es, est, v. g. *Chborem*, Manduco, compositum

fitum est ex *Chhor*, Manducans, & ex *Em*, idest Sum. Manducans sum, Manduco. *Darem*, compositum est ex *Dar*, Habens, & ex *Em*. Sum; Habens sum, habeo; quibus Verbis præponitur particula *Mi*, & fit Verbum *Michborem*, Manduco. *Midarem*, Habeo; & sic omnia alia.

Sed nota, quòd illud *Mi*, est extrinsecum, & non est de essentia Verbi, aut de radice, quia Verbum potest esse cum illo, & sine illo.

Coniugatio Verborum Persicorum est unica, omnia enim Verba coniugantur eodem modo; solummodo in Præterito perfectum est aliqua differentia, quæ in vno Verbo Perfectum formatur vno modo, & in alio Verbo formatur alio modo. Et Præsens, & Perfectum non possunt regulariter formari vnum ex altero. Et etiamsi scias primam personam Præsentis, non potes scire primam personam Præteriti perfecti; & ideò necesse est, vt addiscas eam in Dictionario, vbi posui vtrumque simul. v. g. *Michbonem*, *Chbordem*, Manduco, manducaui. *Midarem*, *Dasctem*, Habeo, habui; & sic omnia alia. Ex quibus, scilicet ex Præsentis, &

Perfecto Indicatiui, formantur omnia alia tempora.

Sed etiam si non possit formari, aut perfectè dignosci Præteritum perfectum à Præsenti Indicatiui, nihilominus aliquas paruulas observationes hic describam, quibus mediantibus non longè discedes à vera formatione Præteriti perfecti à Præsenti Indicatiui.

Nota igitur, quòd omnia Verba Persica incipiunt per particulam *mi*, quæ non est radicalis, sicut diximus. v.g. *Midescem*, Curro. *Michbonem*, Manduco; & sic omnia alia Verba. Igitur ad formandum Præteritum perfectum oportet auferre illud *mi*, & ponere *T*, aut *D*, aut *id*, ante vltimam syllabam; & si vis cognoscere quid debeas apponere, aut *T*, aut *D*, aut *Id*, videas quænam istarum literarum facit meliorem sonum, & sic dignosces. v.g. *Mideuem*, Curro, tolle *mi*, & adde *id* ante vltimam syllabam, erit, *Deuidem*, Cucurri. *Michherem*, Emo, tolle *mi*, & adde *id* ante vltimam syllabam, erit *Chberidem*, Emi. *Miburem*, Seco, tolle *mi*, & adde *id* ante vltimam syllabam. erit *buridem*, Secui.

Alia

Alia Verba sunt, quibus oportet addere *d*, ante vltimam syllabam. v.g. *Michborem*, Manduco. *Chbordem*, Manducaui. *Mimonem*, Maneo. *Mondem*, Mansi.

Alia Verba sunt, quibus oportet addere literam *t*, ante vltimam syllabam. v.g. *Mineuisem*, Scribo. *Neuistem*, Scripsi. *Mikoscem*, Occido. *Kosctem*, Occidi.

Adformandam primam personam Præsentis Indicatiui, ex prima Præteriti perfecti in his quæ habent *id*, ante vltimam syllabam perfecti fit hoc modo. Tolle illud *id*, & adde *mi*, in principio, & fiet prima Præsentis Indicatiui. v.g. *Deuidem*, Cucurri. tolle *id*, & adde *mi*, in principio, fit *Mideuem*, Curro. *Bachhsidem*, Donaui. tolle *id*, & adde *mi*, in principio, fit *Mibachhschem*, Dono.

Verba quæ habent ; *Z* ante vltimam syllabam primæ personæ Indicatiui præsentis, mutato illo ; *Z* in ζ *Chb*, fit prima Præteriti perfecti, dempto *mi*, in principio. v.g. *Misuzem*, Vror. *Suchbtem*, Vltus sum. *Misazem*, Construo. *Sachbtem*, Construxi. *Mipezem*, Coquo. *Pochbtem*, Coxi.

Verba

Verba, quæ ante vltimam syllabam primæ personæ Præsentis Indicatiui habent *ai*, mutato illo *a i*, in *VD*, fit prima persona Præteriti perfecti, v. g. *Miazmaiem*, Experior, *Azmudem*, Expertus sum. *Mialaiem*, Coinquino, *Aludem*, Coinquinaui. *Mifetaiem*, Laudo, *Setudem*, Laudaui.

Sed hæc sufficient circa istas regulas, seu obseruationes, quia cum lingua Persica non habeat regulas generales, quæ veræ sint regulæ, melius est ista vsu addiscere, quàm per regulas, quæ veræ non sunt regulæ; ista nihilominus, quæ scripsimus, multum proderunt.

Veniamus igitur ad Coniugationem aliquorum Verborum, ad quorum Methodum omnia alia coniugabuntur.

De Verbo Substantiuo.

Em, Sum.

Indicatiuo modo tempore Præsentis

Singular.		Plural.	
Em	Sum	1	<i>Jm</i> Sumus
<i>J</i>	Es	2	<i>Jd</i> Estis
Est	Est	3	<i>End</i> Sunt

Præ-

Præterito Imperfecto.

<i>Mibudem</i>	Eram	1	<i>Mibudim</i> Eramus
<i>Mibudi</i>	Eras	2	<i>Mibudid</i> Eratis
<i>Mibud</i>	Erat	3	<i>Mibudend</i> Erant

Præterito Perfecto.

<i>Budem</i>	Fui	1	<i>Budim</i> Fuimus
<i>Budi</i>	Fuisti	2	<i>Budid</i> Fuistis
<i>Bud</i>	Fuit	3	<i>Budend</i> Fuerunt

Præterito plusquam perfecto.

<i>Sçudebuden</i>	Fue-	1	<i>Sçudebudim</i> Fue-
	ram		ramus
<i>Sçudebudi</i>	Fueras	2	<i>Sçudebudid</i> Fueratis
<i>Sçudebud</i>	Fuerat	3	<i>Sçudebudend</i> Fue-
			rant.

Futuro.

Futuro.

Nota, quòd Præsens deseruit etiam pro Futuro.

<i>Chbaem bud</i>	Ero	1	<i>Chhaim bud</i> Erimus
<i>Chhai bud</i>	Eris	2	<i>Chhaid bud</i> Eritis
<i>Chhaed bud</i>	Erit	3	<i>Chhaend bud</i> Erunt

Jm-

Imperatiuo modo tempore Præsenti.

Singul.		Plural.	
		1	<i>Bascim</i> Simus
<i>Basë</i>	Sis	2	<i>Bascid</i> Sitis
<i>Basced</i>	Sit	3	<i>Bascend</i> Sint

Optatiuo modo tempore Præsenti,
& Imperfecto.

<i>Ensciablla men</i> Vti- nam ego			<i>Ensciablla ma</i> Vti- nam nos
<i>Mibudem</i> Effem	1		<i>Mibudim</i> Effemus
<i>Mibudi</i> Effes	2		<i>Mibudid</i> Effetis
<i>Mibud</i> Effet	3		<i>Mibudend</i> Effent

Præterito perfecto, & Plusquam perfecto.

<i>Ensciablla men</i> Vti- nam ego			<i>Ensciablla ma</i> Vti- nam nos
<i>Bude bascem</i> Fuif- sem	1		<i>Bude bascim</i> Fuif- semus
<i>Bude basci</i> Fuiffes	2		<i>Bude bascid</i> Fuif- fetis
<i>Bude basced</i> Fuiffet	3		<i>Bude bascend</i> Fuif- sent

Futu-

Futuro

Futuro

<i>Ensciablla men</i> Vti- tinam ego			<i>Ensciablla ma</i> Vti- nam nos
<i>Bascem</i> Sim	1		<i>Bascim</i> Simus
<i>Basci</i> Sis	2		<i>Bascid</i> Sitis
<i>Basced</i> Sit	3		<i>Bascend</i> Sint

Subiunctiuo modo tempore Præsenti.

<i>Ciun bascen</i> Cùm sim	1		<i>Ciun bascim</i> Cùm simus
<i>Ciun basci</i> Cùm fis	2		<i>Ciun bascid</i> Cùm fitis
<i>Ciun basced</i> Cùm sit	3		<i>Ciun bascend</i> Cùm sint

Præterito Imperfecto.

<i>Ciun mibudë</i> Cùm effem	1		<i>Ciun mibudim</i> Cùm effemus
<i>Ciun mibudi</i> Cùm effes	2		<i>Ciun mibudid</i> Cùm effetis
<i>Ciun mibud</i> Cùm effet.	3		<i>Ciun mibudend</i> Cū effent

F

Præ.

Præterito Perfecto.

Singular.		Plural.	
<i>Ciun budebascem</i>	1	<i>Ciun budebascim</i>	
Cum fuerim		Cum fuerimus	
<i>Ciun budebasci Cū</i>	2	<i>Ciun budebascid Cū</i>	
fueris		fueritis	
<i>Ciun budebascēd Cū</i>	3	<i>Ciun budebascēd</i>	
fuerit		Cum fuerint	

Præterito Plusquam perfecto.

<i>Ciunmibudem Cūm</i>	1	<i>Ciunmibudim Cūm</i>	
fuissem		fuissemus	
<i>Ciun mibudi Cūm</i>	2	<i>Ciun mibudid Cūm</i>	
fuissetis		fuissetis	
<i>Ciun mibud Cūm</i>	3	<i>Ciun mibudēd Cūm</i>	
fuisset		fuissetis	

Futuro		Futuro	
<i>Ciun chhaembud</i>	1	<i>Ciun chhaimbud</i>	
Cum fuero		Cum fuerimus	
<i>Ciun chhaimbud</i>	2	<i>Ciun chhaidbud</i>	
Cum fueris		Cum fueritis	
<i>Ciun chhaēdbud</i>	3	<i>Ciun chhaēdbud</i>	
Cum fuerit		Cum fuerint	

Infi-

Infinitiuo modo tempore præsentis, &
Præterito imperfecto.

<i>Buden</i>	Esse	<i>Sine</i>
<i>Perfæcto, & Plus perf.</i>		
<i>Bude</i>	Fuisse	<i>Numeris, &</i>
<i>Futuro</i>		
<i>Chhaēstēnbud</i>	Futu-	<i>Personis.</i>
<i>rum esse</i>		
<i>Bude</i>	Qui fuit.	<i>Cæteris caret.</i>

De Verbo Actiuo Michhorem.

Indicatio modo tempore præsentis.

<i>Michhorem</i>	Man-	<i>Michhor im</i>	Man-
duco		ducamus	
<i>Michhori</i>	Man-	<i>Michhorid</i>	Man-
ducas		ducatis	
<i>Michhored</i>	Man-	<i>Michhorend</i>	Man-
ducat		ducant.	

F 2

Præ-

Præterito imperfecto.

<i>Michbordem</i>	Man-	<i>Michbordim</i>	Man-
ducabam		ducabamus	
<i>Michbordi</i>	Man-	<i>Michbordid</i>	Man-
ducabas		ducabatis	
<i>Michbord</i>	Man-	<i>Michbordend</i>	Man-
ducabat		ducabant.	

Præteritum imperfectum formatur à Perfecto addendo ipsi in principio particulam *mi*, v. g. *Chordem*, Manducaui. *Michbordem*, Manducabam.

Præterito perfecto

<i>Chordem</i>	Man-	<i>Chordeim</i>	Man-
ducaui		ducauimus	
<i>Chordi</i>	Man-	<i>Chordeid</i>	Man-
ducasti		ducastis	
<i>Chord, vel Chorde est</i>		<i>Chordeend</i>	Man-
Manducauit.		ducarunt.	

Præterito Plusquam perfecto.

<i>Chorde budem</i>	Man-	<i>Chorde budim</i>	Man-
ducaueram		ducaueramus	
		<i>Chor-</i>	

<i>Chorde budi</i>	Man-	<i>Chorde budid</i>	Man-
ducaueras		ducaueratis	
<i>Chorde bud</i>	Man-	<i>Chorde budend</i>	Man-
ducaerat.		ducauerant.	

Præteritum plusquam perfectum formatur à tertia persona Præteriti perfecti, & à prima persona Præteriti perfecti Verbi Substantiui, Sum. v. g. *Chorde budem*. Et illa tertia persona *Chorde*, nunquam variatur in alijs duobus personis, sed variatur *Budem*, sicuti hic retroscripsimus.

Futuro.

Futuro.

<i>Chbaem chbord</i>	Man-	<i>Chbaim chbord</i>	Man-
ducabo		ducabimus	
<i>Chbai chbord</i>	Man-	<i>Chbaid cobrd</i>	Man-
ducabis		ducabitis	
<i>Chbaed chbord</i>	Man-	<i>Chbaend chbord</i>	Man-
ducabit.		ducabunt.	

Futurum est idem, ac præsens Indicatiui, sed aliquando addunt aliquam particulam, seu nomen denotans Futurum. v. g. Cras manduco panem *Sabah nun michborem*. Utuntur etiã Præsenti Indicatiui Verbi, Volo, cum tertia

per-

persona Præteriti perfecti, sicuti hic superiùs scripsimus, idest, *Chhaem chhord*, Volo manducare, pro Manducabo.

Imperatiuo modo tempore Præsenti,

			<i>Bochhorim</i>	Man-
			ducemus	
<i>Bochhor</i>	Man-		<i>Bochhorid</i>	Man-
duca			ducate	
<i>Bochhored</i>	Man-		<i>Bochhorend</i>	Man-
ducet.			ducent.	

Secunda persona Imperatiui formatur à prima persona præsentis Indicatiui, mutando primam syllabam *mi*, in *bo*, vel *be*, & abijciendo vltimam syllabam *em*, v. g. *Mizenem*, Verbero. *Bezen*, Verbera. *Michhorem*, Manduco, *Bochhor*, Manduca.

Tertia autem persona singularis, cum reliquis personis pluralis sunt eadem, ac personæ præsentis Indicatiui, mutato *mi*, in *be*, aut *bo*, v. g. *Mizenim*, mutato *mi*, in *be*, fit *Bezenim*, Verberemus. *Michhorim*, mutato *mi*, in *bo*, fit *Bochhorim*, Manducemus.

Nota, quòd quando secunda syllaba præsen-

tis

tis Indicatiui habet *o*, *mi* mutatur in *bo*. in Imperatiuo. v. g. *Michhorem*, Manduco, dempto *em*, in fine, & mutato *mi*, in *bo*, fit *Bochhor*, Manduca, & non dicitur *Bechhor*. Quando autem secunda syllaba habet *e*, in prima persona Indicatiui, *mi* mutatur in *be*. v. g. *Mizenem*, Verbero. *Bezen*, Verbera. & non dicitur *Bozen*. Quando autem secunda syllaba supradicta habet *a*, tunc *mi*, mutatur in *bi*. v. g. *Miamuzem*, Disco. *Biamus*, Disce.

Nota insuper, quòd quando secunda persona Imperatiui ponitur sola, & absoluta, tunc ponitur illud *be*, aut *bo*. v. g. *Bezen*, Verbera. *Bochhor*, Manduca. *Biamus*, Disce. Sed quando Imperatiuum iungitur cum aliquo nomine, vt plurimum non additur *be*, nec aliud. v. g. *Kar kon*, Opus fac, Operare. *Neka kon*, Attende. *Zut ren*, Cito eas. Nihilominus potest etiam apponi *be*, aut *bo*, aut *bi*, secundum regulam supradictam.

Futuro.

Futurum Imperatiui est sicut suum Præsens.

Opta.

Optativo modo tempore Præsenti.

Ensciablla ke men. Vtinam quod ego; In Plural. Quod nos.

<i>Michbordem</i>	Man-	<i>Michbordim</i>	Man-
ducarem		ducaremus	
<i>Michbordi</i>	Man-	<i>Michbordid</i>	Man-
ducares		ducaretis	
<i>Michbord</i>	Man-	<i>Michbordend</i>	Man-
ducaret.		ducarent	

Optatiui Præsens, & Imperfectum idem sunt, ac Præteritum imperfectum Indicatiui, præponendo solùm particulam *Ensciablla ke*, Vtinam quod; addendo etiam Pronomen, *Men, Tu, On*, Ego, Tu, Ille. *Ma, Scioma*, *Onaa*, Nos, Vos, Illi, secundùm Personas, & Numeros.

Præterito Perfecto, & Plusquam perfecto.

Ensciablla ke men. Vtinam quod ego; in Plural. quod nos, *Kema*.

<i>Chhorde budem</i>	Man-	<i>Chhorde budim</i>	Man-
ducauissem		ducauissemus	
		<i>Chhor-</i>	

<i>Chhorde budi</i>	Man-	<i>Chaorde budid</i>	Man-
ducauisses		ducauissetis	
<i>Chhorde bud</i>	Man-	<i>Chhordebudend</i>	Man-
ducauisset		ducauissent.	

Præteritum plusquam perfectum Optatiui est idem, ac plusquam perfectum Indicatiui, solùm præponitur *Ensciablla*, Vtinam. sicuti hîc superius scripsimus.

Futuro

Futuro

Ensciablla ke men, vt suprâ.

<i>Bochhorem</i>	Man-	<i>Bochhorim</i>	Man-
ducem		ducemus	
<i>Bochhori</i>	Man-	<i>Bochhorid</i>	Man-
duces		ducetis	
<i>Bochhored</i>	Man-	<i>Bochhorend</i>	Man-
ducet.		ducent.	

Futurum formatur à prima persona Præsentis Indicatiui mutando *mi* in *bo*, sicuti superius diximus de Imperatiuo.

Subiunctiuo modo tempore præsenti.

Ciun men, Cùm ego. In Plur. Cùm nos.
Ciun ma.

G

Bo-

<i>Bochborem</i>	Man-	<i>Bochborim</i>	Man-
ducem		ducemus	
<i>Bochbori</i>	Man-	<i>Bochborid</i>	Man-
duces		ducetis	
<i>Bochbored</i>	Man-	<i>Bochborend</i>	Man-
ducet.		ducent.	

Præsens Subiunctiui est idem, ac Futurum Optatiui, sed loco *Ensciablla*, ponitur particula *Ciun*, Cùm.

Præterito Imperfecto.

Ciun men, vt suprâ.

<i>Michbordem</i>	Man-	<i>Michbordim</i>	Man-
ducarem		ducaremus	
<i>Michboridi</i>	Man-	<i>Michbordid</i>	Man-
ducares		ducares	
<i>Michbord</i>	Man-	<i>Michbordend</i>	Man-
ducaret		ducarent.	

Præteritum Imper. Subiunctiui est idem, ac Imperfect. Indicatiui, præponendo particulam *Ciun*, idest, Cùm.

Præterito Perfecto.

Ciun men, Cùm ego. vt suprâ.

Chho-

<i>Chhorde bascem</i>	Man-	<i>Chhorde bascim</i>	Man-
ducauerim		ducauerimus	
<i>Chhorde basci</i>	Man-	<i>Chhorde bascid</i>	Man-
ducaueris		ducaueritis	
<i>Chhorde basced</i>	Man-	<i>Chhorde bascend</i>	Man-
ducauerit.		ducauerint	

Præteritum perfectum Subiunctiui formatur coniungendo tertiam personam Præteriti perfecti Præsens cum prima persona Futuri Optatiui, Verbi, Sum. v. g. *Ciun men chhorde bascem*, Cùm ego manducauerim. & illud *Chhorde*, manet immobile, & solummodo *Bascem*, coniugatur, sicuti videre potes ex his, quæ superius diximus.

Præterito Plusquam perfecto.

Ciun men, Cùm ego, vt suprâ.

<i>Chhorde budem</i>	Man-	<i>Chhorde budim</i>	Man-
ducauiffem		ducauiffemus	
<i>Chhorde budi</i>	Man-	<i>Chhorde budid</i>	Man-
ducauiffes		ducauiffetis	
<i>Chhorde bud</i>	Man-	<i>Chhorde budend</i>	Man-
ducauiffet.		ducauiffent.	

F 2

Præ-

Præteritū plusquam perfectum Subiunctiui est idem, ac Præteritum plusquam perfectum Indicatiui; solummodo additur in Subiunctiuo particula *Ciun* in principio.

Futuro

Ciun men, Cū ego.

Chhorde bascem Man-
ducauero

Chhorde basci Man-
ducaueris

Chhorde basced Man-
ducauerit.

Futuro

Ciun ma, Cū nos

Chhorde bascim Man-
ducauerimus

Chhorde bascid Man-
ducaueritis

Chhorde basced Man-
ducauerint.

*Infinitiuo modo tempore præsentis, &
Præterito imperfecto.*

Chhorden, Manducare.

Infinitiuum formatur à prima persona Præteriti perfecti actiui, mutando vltimam literam *m* in *n*, v. g. *Chhordem*, Manducaui. *Chhorden*, Manducare.

Præterito perfecto, & Plusquam perfecto.

Chhorde buden, Manducauisse.

Præteritum perfectum, & plusquam perfectum formantur à tertia persona Præteriti perfecti Indicatiui, adiungendo ipsi Infinitiuum Verbi, Sum, idest *Buden*. v. g. *Chhorde buden*, ficuti diximus.

Futuro

Futuro

Chhasten chhord

Manducatum ire
Manducatum esse.

Formatur sicut Futurum Indicatiui mutato, *Michhaem*, Volo, in *Chhasten*, Velle.

Gerundia.

Chhoerden

Manducandi

Der chhoerden

Manducando

Berai chhorden

Manducandum.

Gerundium in *do*, idem est, ac Infinitiuum. In *di*, idem est, ac Infinitiuum præposita particula *der*. pro Gerundio in *dum*, præponitur Infinitiuo particula *berai*.

Participia Actiua.

<i>Chhor</i>	Manducans
<i>Chborende</i>	Manducator
<i>On keechhad chbord</i>	Manducaturus.

Chhor est sicuti secunda persona Imperati-
ui, dempto *be*, vel *bo*. addito *ende* fit *chborende*,
Manducator.

De Verbo Passiuo, Manducor.

Chhorde misceuem.

Indicatiuo modo tempore presenti.

<i>Chhorde misceuem</i> Mā-	<i>Chhorde misceuim</i> Mā-
ducor	ducamur
<i>Chhorde misceui</i> Man-	<i>Chhorde misceuid</i> Man-
ducaris	ducamini
<i>Chhorde misceued</i> Man-	<i>Chhorde misceuend</i> Mā-
ducatur.	ducantur

Præterito imperfecto.

<i>Chhorde misciudem</i>	<i>Chhorde misciudim</i>
Manducabar	Manducabamur
	<i>Chhor-</i>

<i>Chhorde misciudi</i> Man-	<i>Chhorde misciudid</i> Mā-
ducabaris	ducabamini
<i>Chhorde misciud</i> Man-	<i>Chhorde misciudend</i>
ducabatur	Manducabantur

Præterito perfecto.

<i>Chhorde sciudem</i> Man-	<i>Chhorde sciudim</i> Man-
ducatus fui	ducati fuimus
<i>Chhorde sciudi</i> Man-	<i>Chhorde sciudid</i> Man-
ducatus fuisti	ducati fuistis
<i>Chhorde sciud</i> Man-	<i>Chhorde sciudend</i> Man-
ducatus fuit.	ducati fuerunt

Præterito Plusquam perfecto.

<i>Chhorde sciude budem</i>	<i>Chhorde sciude budim</i>
Manducatus fue-	Manducati fue-
ram	ramus
<i>Chhorde sciude budi</i>	<i>Chhorde sciude budid</i>
Manducatus fue-	Manducati fue-
ras	ratis
<i>Chhorde sciude bud</i> Mā-	<i>Chhorde sciude budend</i>
ducatus fuerat	Manducati fuerāt.
	<i>Fu-</i>

Futuro.

Futurum est sicut Præfens, & etiam coniugatur hoc alio modo, scilicet.

<i>Chhorde chhaem sciud</i>		Manducabor
<i>Chhorde chhai sciud</i>		Manducaberis
<i>Chhorde chhaed sciud</i>		Manducabitur.

Pluraliter.

<i>Chhorde chhaim sciud</i>		Manducabimur
<i>Chhorde chhaid sciud</i>		Manducabimini
<i>Chhorde chhaend sciud</i>		Manducabuntur

Imperatiuo modo tempore Præsenti,

<i>Chhorde sceuem</i>	Man-		<i>Chhorde sceuim</i>	Man-
ducer			ducemur	
<i>Chhorde sceu</i>	Man.		<i>Chhorde sceuid</i>	Man-
duceris			ducamini	
<i>Chhorde sceued</i>	Man-		<i>Chhorde sceuend</i>	Man-
ducetur			ducentur	

Opta-

Optatiuo modo tempore Præsenti,
& Præterito Imperfecto.

Ensciablla ke men. Vtinam. *Ensciablla ke ma.*

<i>Chhorde misciudem</i>		<i>Chhorde misciudim</i>
Manducarer		Manducaremur
<i>Chhorde misciudi Man-</i>		<i>Chhorde misciudid Mā-</i>
ducareris		ducaremini
<i>Chhorde misciud Man-</i>		<i>Chhorde misciudend</i>
ducarentur		Manducarentur

Præterito perfecto, & Plusquam perfecto.

Ensciablla ke men. Vtinam ego; *Ensciablla ke ma,* Vtinam nos.

<i>Chhorde sciude budem</i>		<i>Chhorde sciude budim</i>
Manducatus essem		Manducati essemus
<i>Chhorde sciude budi</i>		<i>Chhorde sciude budid</i>
Manducatus esses		Manducati essetis
<i>Chhorde sciude bud Mā-</i>		<i>Chhorde sciude budend</i>
ducatus esset.		Manducati essent.

H

Fu-

Futuro.

Futuro.

Ensciablla ke men, Vtinam ego. *Ensciablla ke ma*, Vtinam nos.

Chhorde sceuem Man- | *Chhorde sceuim* Man-
ducer | ducemur

Chhorde sceui Man- | *Chhorde sceuid* Man-
duceris | ducemini

Chhorde sceued Man- | *Chhorde sceuend* Man-
duceretur. | ducentur.

Subiunctiuo modo tempore Præsenti.

Ciun men, Cùm ego. *Ciun ma*. Cùm nos.

Chhorde sceuem Man- | *Chhorde sceuim* Man-
ducer | ducemur

Chhorde sceui Man- | *Chhorde sceuid* Man-
duceris | ducemini

Chhorde sceued Man- | *Chhorde sceuend* Man-
duceretur | ducentur

Præ-

Præterito Imperfecto.

Ciun men, Cùm ego. *Ciun ma*, Cùm nos

Chhorde misciudem | *Chhorde misciudem*
Manducarer | Manducaremur

Chhorde misciudi Man- | *Chhorde misciudid* Mā-
ducareris | ducaremini

Chhorde misciud Man- | *Chhorde misciudend*
duicaretur. | Manducarentur.

Præterito Perfecto.

Ciun men, Cùm ego. *Ciun ma*, Cùm nos.

Chhorde sciude bascem | *Chhorde sciude bascim*
Manducatus sim, vel | Manducati simus,
fuerim | vel fuerimus

Chhorde sciude basci | *Chhorde sciude bascid*
Manducatus sis, vel | Manducati fitis
fueris

Chhorde sciude basced | *Chhorde sciude bascend*
Manducatus fit, vel | Manducati fint
fuerit

H 2

Præ-

Præterito Plusquam perfecto.

<i>Ciun men</i> , Cùm ego.	<i>Ciun ma</i> , Cùm nos.
<i>Chhorde sciude budem</i> Manducatus essem	<i>Chhorde sciude budim</i> Manducati essemus
<i>Chhorde sciude budi</i> Manducatus esses	<i>Chhorde sciude budid</i> Manducati essetis
<i>Chhorde sciude bud</i> Manducatus esset.	<i>Chhorde sciude budend</i> Manducati essent.

Futuro

<i>Ciun men</i> , Cùm ego.	<i>Ciun ma</i> , Cùm nos.
<i>Chhorde misceuem</i> Mā- ducatus ero	<i>Chhorde misceuim</i> Mā- ducati erimus
<i>Chhorde misceui</i> Man- ducatus eris	<i>Chhorde misceuid</i> Man- ducati eritis
<i>Chhorde misceued</i> Man- ducatus erit.	<i>Chhorde misceuend</i> Mā. ducati erunt

Infinitiuo modo tempore præsentis, &
Præterito imperfecto.

Chhorde sciudem Manducari.

Præ-

Præterito Perfecto, & Plusquam perfecto.

Chhorde sciude buden Manducatum esse.

Futuro.

Chhorde chhasten sciud Manducatum iri.

Participium.

Chhorde sciude, Manducatus
Chhordeni Manducandus, & dignus,
seu aptus qui manducetur.

De Verbo Misceuem.

Fio.

Indicatio modo tempore præsentis.

<i>Misceuem</i>	Fio	<i>Misceuim</i>	Fimus
<i>Misceui</i>	Fis	<i>Misceuid</i>	Fitis
<i>Misceued</i>	Fit	<i>Misceuend</i>	Fiunt

Præterito imperfecto.

<i>Misciudem</i>	Fiebam	<i>Misciudim</i>	Fiebamus
<i>Misciudi</i>	Fiebas	<i>Misciudid</i>	Fiebatis
<i>Misciud</i>	Fiebat	<i>Misciudend</i>	Fiebant


Præ-

Præterito Perfecto.

<i>Sciudem</i>	Factus fui		<i>Sciudim</i>	Facti fuimus
<i>Sciudi</i>	Factus fuisti		<i>Sciudid</i>	Facti fuistis
<i>Sciud vel Sciudeest,</i>	Factus fuit.		<i>Sciudend</i>	Facti fuerunt.

Præterito Plusquam perfecto,

<i>Sciudebudem</i>	Factus fueram		<i>Sciudebudim</i>	Facti fueramus
<i>Sciudebudi</i>	Factus fueras		<i>Sciudebudi</i>	Facti fueratis
<i>Sciudebud</i>	Factus fuerat		<i>Sciudebudend</i>	Facti fuerant.



Reliqua tempora, & modi possunt nosci per regulas supradictas, & per verba superius coniugata.

ISTIT. ORIENTALE

N. Inv. 19382F

BIBLIOTECA M. BIPA

I N I S.





UNIVERSITY
DEPARTMENT OF
STUDIES
INSTITUTE
N